



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 85. Omnia tibi poßibilia sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

§. 85. *Omnia tibi possibilia sunt.*

In celo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, in elementis & compositis ex ijs, infra & supra ea, in summa, in manu tua Domine omnes fines terra, hominum corda, cogitationes & conatus. Sed an etiam contradictoria tibi sunt possibilia? Aiunt ratione utentes unum contradictoriorum semper esse possibile Deo, non tamen utrumq; simul, sic ut simul sint veræ, quæ de eis fierent propositiones, nam duarum contradictoriarum propositionum veritas simul non est inter omnia, sed una solum, altera inter non omnia, seu non entia, quo magis admiranda est Reformatorum sapientia, quæ omnem humanam rationem pridem superavit, asserendo, quod Christi Corpus in terra sumant, & idem in terra non sit: esse veritas imagines SS. in SS. S. & de imaginibus SS. non esse mentionem in Sac. Scriptura, se esse iustos, & tamen peccatores pessimos, & his similia portenta, quæ non sunt inter omnia, sed pars una solum altera exclusa.

**E**Rgo Omnipotens Dominator Domine Deus misericors & clemens patiens & multæ miserationis ac verax, cui omnia possibilia sunt, qui propter nimiam charitatem tuam & secundum misericordiam tuam magnam nimis, eripuisti nos de potestate tenebrarum, & saluos fecisti per lacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudisti in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, si inveni gratiam in conspectu tuo, permitte me loqui verbum ad te, cum Abraham seruo tuo. Quare cum tibi omnia sint possibilia, cur non auferis omnium hominum iniquitatem & facis iustos? cur sinis tuos & Ecclesiam tuam ita sæpe concuti, ut perituros se clament? cur mala permittis, cum possis omnia illa abolere? nescio quid dicam, nisi i. hoc, Dominus es, & nemo tibi dicere potestatiue potest, cur sic facis? nulli enim rationem dare teneris. 2. permissionem mali pertinere ad libertatem arbitrij, quod non coronaretur legitime, si non posset deflectere. 3. cum S. Augustino tam es bonus, Domine, ut malum nullum fieri sineres, si non de malis facere meliora intenderes. Hæc laus tibi debetur, si amplius in hac parte à me laudari vis, Domine, da mihi intellectum, & loquar.

§. 86. *Sed non, quod ego volo, sed quod tu. v. 36.*

Audi & attende ô homo, orationem filij Dei naturalis, & discce ad optime orare ex illo, cum enim nesciamus quid orare debeamus & nobis expediat, opus est & dignum, vt Deo resignemus nostras necessitates & dica-